

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Consolacio I  
cum fonte primo

Non sis miser ante tempus  
cum illa que uelut imminencia expauisti fortasse  
nunquam uentura sint, certe non uenerunt. Quaedam  
ergo nos magis torquent quam deberent, quedam ante  
torquent quam debent,  
quedam torquent cum omnino non debeant,  
aut augemus dolorem aut fingimus aut preoccupamus.

Si enim futurum est, quid iuuat dolori suo occurrere?  
Satis cito dolebis cum uenerit;  
interim tibi meliora promitte.

Aliquando gladius ab ipsa ceruice reuocatus est,  
et aliquis carnifici suo superstes fuit.

(auctor non nominatus)

Omittamus haec magna verba,  
ed, di boni, vera: illud tibi praecipio,  
ne sis miser ante tempus,  
cum illa quae uelut inminencia expauisti fortasse  
nunquam uentura sint, certe non uenerint.  
Quaedam ergo nos magis torquent quam debent,  
quaedam ante torquent quam debent,  
quaedam torquent cum omnino non debeant;  
aut augemus dolorem aut praecipimus aut fingimus.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae  
morales*, 13.4-5 (L. Reynolds ed., vol.1, pp.30-1,  
ll.25-27, 1-4).

Etiam si futurum est, quid iuuat dolori suo occurrere?  
satis cito dolebis cum uenerit;  
interim tibi meliora promitte.  
Quid facies lucri? tempus.  
Multa interuenient quibus vicinum periculum  
vel prope admotum aut subsistat aut desinat  
aut in alienum caput transeat:  
incendium ad fugam patuit;  
quosdam molliter ruina deposuit;  
aliquando gladius ab ipsa ceruice reuocatus est;  
aliquis carnifici suo superstes fuit.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae  
morales*, 13.10-11 (L. Reynolds ed., vol.1, p.32,  
ll.7-14).